

unum, aut alterum detrahas, qui odio nationis Italicae, aut Pontificis Romani, invectivas potius, quam historias conscripserunt, historici pene omnes ornatam Germaniam a Pontifice Romano, non vexatam scribunt, quorum testimonia suo loco infra recitabuntur. Quod si quis a nullo unquam foedius vexatam et oppressam Germaniam et Caesares diceret, quam a Lutero, atque Illyrico, is demum sane non mentiretur. Quid enim gravius Germaniae, atque imperatori accidere poterat, quam ut Caroli Magni imperium Antichristi opus esse diceretur, et scriberetur? Lutherus primus id affirmare ausus est, eumque Lutheri magno consensu sequuti sunt. Nam ut David Chytraeus testatur in comment. e. xiii. Apocalypsis, Lutherus, et plerique Lutheranorum imperium quidem Germanicum a Papa constitutum scribunt, sed Papam in ea re Antichristum, et bestiam in Apocalypsi descriptam praecclare egisse; proinde Germanicum imperium non alio jure nisi quam antichristiano. Theodorus Bibliander in Chronico tabula decima extrema, Lutherum sequutus, Leonem Papam usurpata auctoritate imperium a Graecis ad Francos transtulisse scribit. Illyricus autem (ut supra diximus) centur. 8. cap. 10. eolum. 751. unum ex praecipuis Antichristi miraculis hanc ipsam Imperii translationem vocat. Praecclare igitur Lutherus, et ejus filii Chytraeus, Bibliander et Illyricus, de Germania, et imperio meriti sunt, qui Caesarum Germanorum potentiam, et gloriam, ad Antichristi praestigias, et tyrannidem referunt. Vide praeterea de innumerabilibus detrimentis, quae Germaniae attulit haeresis Lutherana, praefationem Joannis Cochlaei ad librum de actis et scriptis Lutheri. Sed pergamus ad caetera.

XI. — Non longe a mendaciis jam confutatis, Illyricus Henricum IV praecclarissimum heroem appellat, atque injuste a Papa oppressum fuisse scribit. Quod mendacium uno ore confutant scriptores ferme omnes, atque in primis Germani, quorum testimonia brevissime adscribam, propterea quod frequentissime ex abdicatione hujus Henrici, tum Illyricus, tum caeteri Lutherani, invidiam Romano Pontifici conflare student.

Stephanus Alberstatensis, vir sanctus, et doctus, scripsit vivente Henrico IV ad Walramum episcopum prolixam epistolam, quae exstat apud Dodechinum in additione ad Marianum Scotum anno 1090. in qua epi-

stola sic ait: « Audi vera, non fucata; audientia non faceta: omnis qui dignitates spirituales vendit, haereticus est. Dominus autem Henricus, quem regem dicunt, episcopatus et abbatias vendit; etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, et plures alios pro pecunia; Ratisbonensem, Augustensem, et Stratsburgensem pro gladio, abbatiam Fuldensem pro adulterio? Monasteriensem vero episcopatum, quod dicere et audire nefas est, pro sodomitica immunditia vendidit; quae si impudenter negare volueris, teste caelo, teste terra, omnes etiam a furno redeuntes scioli concludent hoc: Dominus Henricus haereticus est; pro quibus nefandis malis ab Apostolica sede excommunicatus, nec potestatem aliquam supernos, qui Catholici sumus, poterit exercere. » Marianus Scotus et ipse Henrici IV aequalis in Chronico anni 1073: « Hæc, inquit, et similia nefanda, et inaudita Henrici regis flagitia videntes et audientes fieri, catholici viri per id tempus in Ecclesia constituti, cum propheta Helia zelo Domini zelantes pro domo Israel, directis Romam nunciis ad Alexandrum Apostolicae sedis Antistitem, hæc ei, et alia quam plurima, quae in regno Theutonico, insanientibus simoniacis haereticis, rege Henrico auctore et patrono dicta et gesta sunt, tam litteris, quam viva voce gemendo ac dolendo conquesti sunt. » Et infra: « Gregorius, inquit, querimoniis, et clamoribus Catholicorum justis adversus Henricum, et scelerum ejus immanitatem auditis, zelo Dei accensus, jam dictum regem excommunicatum pronuntiavit, maxime propter simoniam, quod factum catholicis quidem viris bene placuit, simoniacis vero, ac fautoribus regis nimium displicuit. »

Ex quo Mariani testimonio non solum habemus, qualis Henricus IV fuerit; sed etiam abdicationem ejus ab ipsis Germanis procuratam fuisse, quod enim Gregorius Pontifex fecit, ad preces et querimonias principum Germanorum fecit. Dodechinus Mariani continuator anno 1106. Henricum, inquit, hominem perversum, et justo judicio ab Ecclesia ejectum, constat manifeste. Idem auctor in Chronico anni 1090 et 1093, adeo immania et horribilia scelera Henrici refert, ut puduerit me hic adscribere. Conradus abbas Urspergensis in Chronico anni 1083: Henricus, inquit, adolescentiae usus libertate, Saxoniam solam ex omni Romano imperio cepit incolere, principes despiciere, nobiles

opprimere, inferiores sustollere etc. Et infra: Hic finis, hic interitus, hæc sors ultima Henrici, illo sub vocabulo, quarti Romanorum imperatorum a suis appellati. A Catholicis vero, id est, cunctis B. Petro, suisque successoribus fidem et obedientiam lege Christiana conservantibus, archipirata simul, et haesiarcha, necnon et apostata, persecutorque plus animarum quam corporum competenter dicebatur.

Lambertus Schafnaburgensis, in historia Germanorum, quam Henrico IV regnante conscripsit, sic loquitur, dum refert acta regis anno 1073. Rex (inquit) tanquam severissimo pedagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiae et temperantiae frenis praecipitem se dedit. Albertus Krantzius lib. v. Saxoniae, cap. 24. Mirum, inquit, et incomparabile rerum humanarum spectaculum et exemplum non vulgare, in quo contemplari possunt ima et summa. Si laudes requiris (Henrici) nobilis, doctus, fortis, procerus et rege dignus vultus, qui summam Reipublicae tenuerit annis quinquaginta. Caeterum si alteram partem respicis, incredibilia dictu flagitia, et pertinax superbia, adeo sibi hominem dimidiarunt, ut potiores sibi partes in uno vendicarent. Habeant reges speculum utriusque fortunae in homine, qui ubi tolerabiliter se gessit, in summo rerum mortalium fastigio effloruit; ubi vero versus est in reprobos mores, in extremam incidit calamitatem, non in morte luctum, non sepulturam accipiens.

Joannes Aventinus (quo auctore mirifice oblectari solet Illyricus) lib. v. Annalium Boiorum pag. 563. Henricum (inquit) stupris, amoribus, impudicitiae et adulterii flagrasse infamia, ne amici quidem negant. Joannes Calvinus, Summi Pontificis hostis acerrimus, a veritate ipsa coactus ita scribit lib. iv. Institut. cap. 11. §. 3. Imperator Henricus ejus nominis IV, homo levis et temerarius, nullius consilii, magnae audaciae, vitae dissolutae, Episcopatus totius Germaniae habebat in aula sua partim venales, partim praedae expositos.

Habemus igitur quam sit verum, quod Illyricus scribit cum tragice deplorat injustam oppressionem praecclarissimi herois Henrici IV. Adduxi autem solum testimonia Germanorum, aut hostium Pontificiorum, ne ulla suspicio mendacii nasci posset, si ex Gallis, et Italis scriptoribus testimonia peteremus;

quamvis ea non desint, et praesertim sanctissimorum virorum, qualis in primis fuit S. Anselmus Episcopus Cantuariensis, qui Henrici aequalis cum esset, praefatione lib. de azymo ad Walramum, Henricum IV, Neronis, Domitiani, et Diocletiani successorem vocat. Sed de his hactenus.

XII. — In eadem epistola dedicatoria non procul a fine scribit Illyricus: « Concilium Tridentinum finitum esse sine omni cleri reformatione, elusis Caesaris, aliorumque Principum admonitionibus et petitionibus, qui reformationem cleri obnixè postulaverant. » At mendacium hoc aperte coarguit ipsum Concilium, quod plenum est decretis saluberrimis de reformatione; quodque exstat, et legitur, et multis in locis magno cum fructu servatur.

XIII. — Non procul ab eo loco subjungit Illyricus in hunc modum: « Exstat etiam vere aureus libellus centum importabilium gravaminum a toto imperio in comitiis Norimbergae anno 1523. Papae Adriano oblatus. » Mendacium hoc hominis impudentissimi detexit Joannes Cochlaeus in actis Lutheri anni 1523. ubi scriptum reliquit, nullum ejusmodi libellum in Comitiis imperialibus editum: sed cum in eo conventu proposita fuissent quaedam gravamina, quibus gravari videbatur natio Germanica, non solum a Romana curia, verum etiam ab Episcopis et Praelatis Germaniae; ea occasione Lutheranos edidisse librum de centum gravaminibus Germaniae, omnia in Papae odium augentes, aut maligne interpretantes.

XIV. — Sed ut ad finem epistolae veniamus, Illyricus more insignium oratorum, ad extremam partem orationis suae splendidissimum mendacium reservavit. Sic enim in extrema epistola loquitur: « Quod (inquit) ad meam personam attinet, testor coram Deo, me puram Christi religionem secundum prophetica et apostolica scripta, triaque symbola amplecti, cujus aliqua summa in Augustana Confessione comprehensa est. quaeque cum primitivae Ecclesiae religione optime convenit. Testor et insuper, me adeo ab omnibus sectis, erroribusque a Romano imperio, et Augustana Confessione damnatis, abhorrere. » Hæc ille. Hoc esse mendacium, et quidem clarissimum, ut nullo modo tegi vel excusari queat, duabus rationibus ostendi potest. Primum ex eo, quod propria quaedam ipsius Illyrici dogmata, quale est illud, quod peccatum originis sit substantia,

quodque ipse homo totus sit peccatum, manifeste pugnat cum scriptis prophetarum et apostolorum, cum doctrina Ecclesiae primitivae, cum symbolis fidei, et cum ipsa etiam Confessione Augustana. Sed quia longum esset hæc persequi, et multi jam tum Catholicici, tum Lutherani editis libris hunc Illyrici errorem certissimis rationibus confutarunt, nihil hic addemus amplius.

Altera ratio expeditior et facilior est. Si quidem constat, Romanum imperium non solum perpetuo coluisse Apostolicam sedem, quam Illyricus tanquam Antichristi sedem execratur, verum etiam nostro hoc sæculo publico edicto damnasse Lutheranam hæresim, cujus se patronum singularem Illyricus profitetur; ita ut omnino necesse sit, aut mentitum esse Illyricum, cum ait se abhorere ab erroribus ab imperio Romano damnatis; aut certe eundem Illyricum non Lutheranum, sed papistam fuisse, cum hæc scripsit. Porro Apostolicæ Sedi perpetuo ab imperio Rom. debitam reverentiam exhibitam fuisse, nec ullum fuisse imperatorem a Carolo Magno, usque ad Rodolphum, qui nunc imperat, qui Romanum Pontificem ut verum Christi Vicarium non coluerit, in 12 capite demonstrabo, adductis præcipue eorum Imperatorum testimoniis, qui cum certis Pontificibus inimicitias gessere, videlicet Henrici IV et V, Friderici I et II, Philippi, Othonis IV et Ludovici item IV. Damnata vero hæresim Lutheranam ab imperio universo perspicuum est ex edicto Wormatiensi; quod editum fuit anno 1521. Sic enim in eo edicto loquitur Carolus V imperator: « Ad honorem Dei omnipotentis, Romanique Pontificis, et sanctæ Sedis apostolicæ debitam reverentiam, pro imperiali dignitatis officio, ac debito, necnon zelo ac studio, quo nostrorum majorum more, et ingenita etiam nobis vi, ad defensionem Catholicæ fidei, sanctæque Romanæ et universalis Ecclesiae honorem, tutelam, et protectionem omnes nostras vires et facultates, imperium, regna, dominia, amicos, vitam denique, et animam ipsam nostram exponere sumus parati. Ex imperiali, et regia auctoritate, necnon consilio, et assensu (nota lector) electorum, et omnium sacri Romani imperii principum, ordinum, et statuum in hæc celeberrima et frequentissima Imperiali Dieta Wormatiæ congregatorum, ad perpetuam rei memoriam, in exequendo sanctissimi Domini nostri Papæ, veri in hæc parte

judicis, sententiam, decretum, et condemnationem, in litteris Apostolicis (ut supra dictum est) ad nos directis, contentam, Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei alienum, ut obstinatum schismaticum, et notorium hæreticum a nobis haberi declaramus, et ut talem a vobis omnibus, et singulis habendum decernimus et edicimus ». Quid hic dices, Illyrice? Num adhuc testaris coram Deo te abhorere ab omnibus erroribus ab imperio Romano damnatis? Cur igitur in omnibus fere tuis operibus Lutherum tuum, ut prophetam Germanicum, et Eliam tertium laudas, et in hoc ipso libro ubi juras te sequi doctrinam Imperii Romani, tam crebro Romanum Pontificem Antichristum vocas; et nihil aliud omnibus viribus tuis contendis, quam ut populos Christianos ab antiqua religione, et Apostolicæ Sedis reverentia et obedientia ad Lutheri hæreses pertrahas, tam aperte ab imperio Romano damnatas? Sed nimirum certum est tibi millies potius mentiri, et mendacia jurejurando confirmare, quam Lutherum deserere.

Atque hæc tenet de epist. dedicatoria. Jam in reliquo libro non facile numerus mendaciorum iniri posset. Idecirco paucissimis annotatis, reliqua taceri libenter patiemur, nam et ad majora festinamus, et ex paucis quæ notabimus, facile de reliquis conjecturam facere licebit.

XV. — Igitur cap. 1. pag. 13. « Fingunt (inquit Illyricus) Carolum ignorasse Papæ consilium, et decretum Senatus, populique Romani de transferendo in eum imperio. O mirum tum illorum silentium, tum et Caroli in explorandis rebus negligentiam, ac somnolentiam: Dicunt ei invito et recusanti esse coronam, et nomen imperatoris obtrusum. O miram, et præposteram modestiam, aut etiam humilitatem Caroli. » Hæc ille. Atqui id fingi dicitur quod sine certo auctore asseritur. Ignorasse autem Carolum Papæ consilium de transferendo in eum imperio, et recusanti plane, atque invito imperium esse delatum, auctores certissimi, fideque dignissimi narrant. Eginarthus, qui Caroli tempore vixit, et vitam ac res gestas Caroli ut festis oculatus summa fide scripsit, Augusti, inquit, nomen primo tantum aversatus est (Carolus), ut affirmaret se eo die, quamvis præcipua solemnitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Conradus Abbas Urspergensis, vetustus et diligens auctor, in rebus

Germaniæ præcipue describendis: Dum, inquit, ante confessionem B. Petri Apostoli ab oratione surgeret (Carolus), nihil minus speranti, Leo Papa coronam imposuit, et Imperatorem Romanum pronuntiavit. Quod idem, ac iisdem pene verbis scripsit Joannes Caspianus ab Illyrico non semel laudatus in vita Caroli Magni, necnon Joannes Aventinus, Illyrici deliciae, lib. iv. annalium Boiorum pag. 345. Non igitur Papistæ Italiæ finxerunt quod tot testibus, vel antiquissimis, vel hostibus Pontificum, Germanis certe omnibus, comprobamus. Sed addamus etiam testimonium Alberti Krantzii, auctoris Germani, et ab Illyrico sæpe citati. Sic igitur lib. ii. Saxoniae cap. 18. Albertus Krantzius loquitur. Cum nihil tale Carolus aut cogitaret, aut speraret, magisque recusaret alienum invadere (ut supra diximus) imperatoris honorem, infra Missarum solemniam, dum ante confessionem B. Petri Apostoli ab oratione surgeret, Papa ei coronam imposuit, et imperatorem Romanorum pronuntiavit.

Addit paulo post et aliud insigne mendacium: Fingunt, inquit, item die Natalis Domini illam tam solemnem actionem (Coronationis Caroli) idque in templo esse habitam. Itane tam curtis diebus, tam sacro festo, et in tam multis sacris actionibus, verisimile est, politicam, eamque tam grandem, difficilemque actionem esse peractam, ut stata illorum sacra, ritusque impedirentur a religioso imperatore. Hæc ille. Quis crederet tam impudentem hominem reperiri unquam potuisse, qui rem decantatam historicorum pene omnium vocibus, plurimisque oculatis testibus confirmatam, asserat esse figmentum? Annales Francorum ipso tempore Caroli Magni scripti sic habent: Ipse autem eum die sacratissimo Natalis Domini ad Missarum solemniam Basilicam B. Petri Apostoli fuisset ingressus, et coram altari, ubi ad orationem se inclinaverat, assisteret, Leo Papa coronam capiti ejus imposuit. Id ipsum cum de tempore, tum de loco disertis verbis testantur Eginarthus in vita Caroli; Paulus Diaconus, qui ejusdem Caroli æqualis fuit, lib. xxiii. rerum Romanarum; Regino abbas lib. ii. Chronicorum, Ado Viennensis in Chronico ætate 6. Aimoinus lib. iv. de gestis Francor. cap. 90. Conradus abbas Urspergensis in Chronico anni 801. Demum recentiores plurimi, Paulus Æmilius, Albertus Krantzius, Joan. Caspianus, Flavius Blondus, Baptista Platina,

et alii. Sed fortasse hos auctores Illyricus non legit. Immo legit ac diligenter omnes evolvit, quippe qui eos tum in Centuriis, tum in hoc libro de translatione Imperii passim citat: et tamen adeo mendaciis delectatur, ut fingat se nihil ejusmodi unquam legisse; et audacter asserat esse figmentum Papistarum, et rem non modo non veram, sed ne verisimilem quidem. Sed præterire non possum tergeminum quoddam mendacium, quod idem Illyricus in eodem cap. i. pag. 9. scriptum reliquit. Audet, inquit, Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem scribens 15. quæst. 6. can. Alius, affirmare Zachariam Papam deposuisse Hildericum Regem Francorum, et transtulisse in Pipinum Caroli patrem; de quo tamen mendacio eum illic Glossa propria, Annonius historicus Francorum, et Rodolphus de Columna redarguunt. Et infra: Tale mendacium cum ausus sit Papa ille confingere etc.

XVII. — Tria hic sunt manifesta mendacia. Primum asserit Illyricus a Gelasio Papa mendacium esse confictum de translatione regni Francorum ab Hilderico in Pipinum. At Gelasius Papa, is qui ad imperatorem Anastasium scribit, de quo loquitur Illyricus, obiit multo ante quam Zacharias Pontifex, aut Pipinus, vel Hildericus Reges nascerentur; obiit enim Gelasius anno Domini 496. Zacharias autem, Pipinus, et Hildericus post annum Domini 700. floruerunt, de qua re nulla est inter historicos controversia. Sed Illyricus, inquit, Gratianum secutus est. At si mendacium erat in Gratiano; quomodo tantus historicus Illyricus id non advertit? Advertit omnino, quippe qui in Centuriis, Gelasii et Anastasii tempora amplius ducentis annis antiquiora fecit temporibus Zachariæ, Pipini, et Hilderici, cum illa ad centuriam 5. hæc ad octavam retulerit, sed pro more suo nullam mentiendi occasionem undecumque oblatam prætermittendam sibi esse censuit.

XVIII. — Mentitur 2. cum affirmat, figmentum ac mendacium esse quod nostri affirmant, a Zacharia Pontifice regnum Francorum ab Hilderico in Pipinum esse translatum. Nam, ut supra diximus, id proprie fingitur, quod sine auctore probato dicitur: Plurimi vero, gravissimique auctores constanter asserunt quod nos dicimus. Annales Francorum vetustissimi sic habent: Data auctoritate sua (Zacharias) jussit Pipinum regem constitui. Et infra: Secundum Romani Pon-

tificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est. Eginarthus in vita Caroli Magni : Pipinus, inquit, per auctoritatem Romani Pontificis ex praefecto palatii, rex constitutus est.

Aimoinus lib. iv. de gestis Francorum cap. 61 : Pontifex, inquit, data auctoritate sua jussit Pipinum regem institui. Regino lib. ii. Chronici : Zacharias, inquit, per auctoritatem Apostolicam jussit Pipinum regem creari, et sanctae unctionis oleo inungi. Lambertus Schafnaburgensis in historia Germanica. Pipinus, inquit, decreto Zachariae Papae per unctionem sancti Bonifacii rex appellatus est. Sigebertus in Chronico : Anno, inquit, 750. Pipinus princeps auctoritate Apostolica et Francorum electione a sancto Bonifacio in regem ungitur et consecratur. Anno 752. iterum inungitur in regem a Stephano Papa. Hermannus Contractus in Chronico : Anno inquit, 752. Pipinus auctoritate Stephani Papae deposito ac detonso rege Hilderico, rex Francorum factus, regnavit annis 15. Marianus Scotus lib. iii. Chronici : Zacharias, inquit, Papa ex auctoritate S. Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate regia utebatur, etiam nominis dignitate fruere. Ita Hildericus rex qui ultimus Merovingorum Francis imperabat, depositus, et in Monasterium missus est. Conradus Abbas Urspergensis in Chronico : Anno, inquit, 750. Pipinus per auctoritatem Zachariae Papae more Francorum electus ad regnum, per manus sancti Bonifacii elevatus est in regni solium. Et infra : Stephanus (Papa) Pipinum sacra unctione in regiae dignitatis honore confirmavit. Otho Frisingensis lib. v. Histor. cap. 22 : Auctoritate, inquit, Zachariae Papae Pipinus ad regnum eligitur. Albertus Krantzius lib. i. Metropolis cap. 14 : Merito, inquit, summus Pontifex, et Gallorum rex mutuis se attollunt favoribus, quando ab initio haec sedes domui Caroli hoc praestitit, ut regiam haberet dignitatem. Viderit jam Illyricus utrum nos finxerimus, Pontificis auctoritate Pipinum regem creatum ; an ipse potius nos haec finxisse, more solito mentiatur.

XIX. — Postremum, sed dignum extremo loco, mendacium illud est, quo Illyricus affirmat, Papae figmentum de translatione regni Francorum ab Hilderico in Pipinum, Annonii auctoritate coargui. Nam, ut paulo ante citavimus, Annonius, qui et Aimoinus

ab aliis dicitur, non Papae, sed Illyrici mendacium verbis clarissimis reprehendit. Sic enim ait lib. iv. cap. 61. Pontifex data auctoritate sua, jussit Pipinum regem institui. Et infra : Hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est, et ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione manu sanctae memoriae Bonifacii archiepiscopi et martyris. Quid clarius ? Sed finem faciam mendaciorum commemorandorum, si unum adhuc addidero, quod toto passim libro repetitur.

XX. — Siquidem in epistola dedicatoria, in prolegomenis, et in singulis fere libri capitibus Illyricus queritur de Pontificis adulatoribus, et parasitis, quod audeant Imperium a Pontifice Romano ad reges Francorum delatum scribere : nec veretur hanc ipsam translationem figmentum et fabulas appellare. At nos paulo post supra triginta Historicorum testimonia proferemus, quorum cum alii Graeci, alii Galli, plurimi Germani, atque omnes pene veteres fuerint, ipsa tum nationis diversitas, tum vetustatis auctoritas, omnem ab eis suspensionem falsitatis atque adulationis excludit. Sed praeter ea testimonia, quae suo loco postea producentur, producam nunc Martinum Lutherum, teste Illyrico, omni exceptione majorem, quippe prophetam, atque evangelistam novum, et Romani Pontificis non modo non parasitum et adulatorem, sed etiam hostem acerrimum, atque infestissimum, cui comites addam Theodorum Bibliandrum, ac Davidem Chytræum, et ipsum quoque Flaccium Illyricum, qui in Romano Pontifice oppugnando, non multum Luthero cedunt.

David igitur Chytræus in commentar. cap. xiii. Apocalypsis, Lutheri sententiam, ac suam et aliorum quorundam Lutheranorum his verbis describit : « Lutherus et alii hanc partem visionis de novo imperio Romano per Pontificem instaurato enarrant. Cum enim vetus imperium Urbis, et Caesarum Romanorum per Francos, Gothos, Vandalos, et alias gentes laceratum, et plane extinctum esset, Romanus Pontifex Leo Tertius, veteris illius Romani imperii imaginem, seu simulacrum, et umbram aliquam excitavit, cum Carolo Francorum regi nomen, et titulum imperatoris Romani anno Christi 800 attribuit, ei spiritum, ac vitam imagini a se efficta dedit, ut formam aliquam veteris imperii referret, et loqueretur, ac leges sanciret de obedientia bestiae et ima-

gini ipsius praestanda. Nihil enim fere potestatis et juris habuit, vel usurpare ausus fuit imperator Romanus in hac nova imperii forma, nisi quantum Romanus Pontifex, aut bestia ei concessit ». Hæc ille.

Theodorus autem Bibliander in Chronico suo, tabula decima prope extrema, de eadem imperii translatione sic loquitur : « Ut per Longobardos imperatorem novae Romae Papa veteris Romae expulsi ex Italia ; ita Longobardos armis Francorum oppressit : eodemque jure, ac potestate regnum Francorum transtulit a Merovingis ad Germanos principes, et Romanum imperium a Graecis in Carolum Magnum ». Et infra in tabula undecima : « In Natali, inquit, die Christi Servatoris post solemnia sacra in templo S. Petri magna voce proclamavit (Leo Papa) Carolum imperatorem Augustum, ac diademate ornatum inunxit : simulque filium Pipinum inunxit Italiae regem. Ita imperium Occidentis, quod post Augustulum ab Oedacaro Germano depositum jacuerat annis 300. per Romanum Papam excitatum rursus, et in regem Francorum, atque Germanorum translatum est. Papa quidem Romanus videri voluit gratiam referre Carolo de Romana Ecclesia optime merito, appellans more Romano, Patritium, et Augustum, et Caesarem Romanum, occulto autem judicio Dei ad eam nationem auctore Papa, et applaudente acclamanteque populo Romano, Carolo Augusto a Deo coronato, magno et pacifico imperatori vita, et victoria, Imperium translatum est ». Et infra : « Auctoribus Papis a Pipino et Carolo Germanis principibus, Longobardi regnum Italiae amiserunt : quod Papa Leo, cum praeclearo auctario videlicet, Carolo Magno resignavit ». Hæc Theodorus. Illyrici ac sociorum ejus Magdeburgensium Centuriatorum testimonium supra retulimus cap. i. Habemus igitur multorum hostium Pontificiorum testimonia de translatione imperii auctore Pontifice facta, usque adeo clara atque illustria, ut plane nesciam, an ulli scriptores ex iis, quos Illyricus parasitos Pontificis vocat, clarius de eadem re loqui potuerint. Atque hæc Illyrici mendacia hoc loco satis esse visa sunt. Nam si singula persequi velimus, totus liber in mendaciis numerandis et refellendis consumendus sit.

Sed ne forte Illyricus gloriatur, ex Apocalypsi Joannis demonstrari Pontificem Romanum esse Antichristum, observet prudens lector, apud Joannem nusquam legi, ab An-

tichristo sanandam eam bestiam, qua Romanum imperium significatur. Siquidem unum illud caput bestiae, quod in Apocalypsi cap. xiii. dicitur moriturum, et paulo post opera draconis resurrecturum, non imperium, vel imperatorem, sed ipsum Antichristum designat, qui finget se mortuum, et opera draconis, id est, arte diabolica, paulo post iterum se ipse excitare videbitur, ut imitetur veram Christi mortem et resurrectionem. Ita hunc locum exponunt veteres, Gregorius lib. xi. epist. 3. Primasius, Beda, Haymo, Anselmus, Richardus Victorinus, et Rupertus Tuitiensis in commentario hujus loci, et textus ipse omnino cogit, ut per illud bestiae caput, non Carolum Magnum, ut Lutherani volunt, sed Antichristum accipiamus. Illud enim caput bestiae, ut Joannes scribit, potestatem habuit solum mensibus quadraginta duobus, et blasphemabat Deum, et eos qui in caelo habitant; et imperavit in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem, et adoraverunt illud omnes qui habitant in terra; quarum rerum nulla convenit in Carolum, aut in aliquem successorum ejus : omnes vero omnium consensu in Antichristum quadrant. Neque enim Carolus Magnus, in quo imperium quodammodo revixit, potestatem habuit mensibus tantum quadraginta duobus, sed annis fere quatuordecim. Neque Deum aut Sanctos, Carolus, vel ejus successores blasphemarunt, sed eos potius mirifice coluerunt. Denique neque Carolus, neque ullus successorum ejus, aut omnibus gentibus imperavit, aut ab omnibus gentibus adoratus est. Sed de his satis : nam in libro tertio de summo Pontifice totum hoc argumentum accurate tractavimus.

CAPUT III.

Refelluntur prolegomena Illyrici.

Etsi prolegomena Illyrici nihil sint aliud nisi ingens quoddam mendacium, quia tamen ejus mendacii refutatio longior erit quam ut ad caput, quo mendacia continentur, commode possit adjungi, rectius esse duxi, si propriam disputationem ad prolegomena refellenda instituerem. Igitur Illyrici prolegomena tota consumuntur in variis fragmentis diversorum auctorum recitantis, ex quibus ipse colligi dicit, ante annos quadragentos inter Adrianum IV Pontificem, et Fridericum I imperatorem litigatum esse, utrum